



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Ejusdem epistola ad Amalricum Comitem Tolosanum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

EIVSDEM EPISTOLA
ad Amalricum Comitem Tolosanum.

An. 1220.

Honorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Amalrico Comiti Tolo-
sano salutem & apostolicam benedictionem. Iustis
petentium desideriis dignum est nos facilem præbere
consensum, & vota quæ à rationis trāmite non dis-
cordant effectu prosequente completere. Sanè in regi-
stris bonæ memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris
nostrī perspeximus contineri quod ipse Biterensem,
Carcassonensem, & Albiensem civitates, ac alias ha-
reticorum terras quas Dominus tradidit in manibus
inclitæ recordationis patris tui ac exercitus Christia-
ni, eidem patri tuo, cui principes ejusdem exercitus
cum consilio Legatorum apostolicæ sedis illas regen-
das commiserant, ne cum hereditibus ejus in fide ca-
tholica & devotione sedis apostolicæ permanentibus
confirmavit, principalium dominorum & aliorum, si
quibus fortè competit, jure salvo, exceptis hæreticis
& fautoribus, creditibus, defensoribus, & receptato-
ribus eorundem, eodem patre tuo tres denarios per
singulas domos ejusdem terræ annualiter Romanæ
Ecclesiæ promittente ad indicium quod terras ipsas
in devotione apostolicæ sedis & sancta religione con-
servare de cetero disponebat, idein prædecessor no-
strī statuit in Concilio generali ut terra quam cruce
signati obtinuerunt adversus hæreticos, credentes,
fautores, & receptatores eorum, cum Montealbano
atque Tolosa dimitteretur atque concederetur, sal-
vo catholicorum per omnia jure virorum, mulierum,
& Ecclesiarum, Comiti memorato, ut ab illis tene-
ret à quibus est de jure tenenda, Nos tuis iustis pre-
cibus inclinati, terras quas ipsi patri tuo & heredi-

bus ejus dictus prædecessor noster noscitur confirmasse, ad ejus exemplar tibi ac heredibus tuis auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Quod verò de aliis concedendis & dimittendis eidem patri tuo ordinavit in Concilio generali, circa te ac heredes tuos habere decernimus robur perpetuæ firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani tertio Nonas Iunij, pontificatus nostri anno quarto.

EIVS DEM EPISTOLA
ad Ludovicum VIII. Francorum Regem.

Honorius Episcopus servus servorum Dei ca- Ann. 1225.
rissimo in Christo filio Ludovico illustri Re-
gi Franciæ salutem & apostolicam benedictionem.
Cùm Reges & Principes Christiani properer Ec-
clesiam matrem suam, ex qua specialiter nati sunt,
& quam à Christo, ut eam temporibus suis fo-
vèant, suscepere fovendam, Deo teneantur redde-
re rationem, grave nimis debes gerere ac indignum
quod intra terminos regni tui, videlicet in parti-
bus Albigensibus, hæretici manifestè ac intrepidè
impugnant Ecclesiam, fidem Christianam evacuant,
& dilacerant ipsum Christum. Certè Nabuchodo-
nosor Rex decretit, dicens: *Quicunque locutus fuerit* Dan. 3.
blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Ab-
denago, in interitu erant, & domus eorum in disper-
sione. Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne de-